

1499 possit, in lege Decemvirum est additum. Itaque & Malchioni Trivisano, qui legatus bello Gallico Cremonam illis diebus per deditionem ceperat, majoribus comitiis classis est imperium delatum, & a Senatu præfectura longarum navium majorum decemseptem Zeno tradita magna cum potestate: lectique a Principis collegio earum navium præfecti tresdecim veterum præfectorum loco: qui omnes statim profecti sunt cum militibus triginta quilibet. Latum etiam de veteribus, ut ob male gestam rempublicam ad urbem redirent, custodiæque traderentur. datumque Triumviris ex advocatis reipublicæ negotium, ut eos in judicia deducerent, quibus a judiciis, qua meriti essent, pœna condemnarentur. Idemque postea de Antonio constitutum. Lectus etiam per Senatum, qui Corcyræ magistratus esset, Lucas Quirinus cum militibus mille oppidi præsidio. Is & Zenus sine mora sunt profecti. pauloque post Malchio Cremona a Senatu accersitus, vexillo reipublicæ accepto conscendit, cum ei libras auri ducentas quinquaginta, quibus in classem uteretur, Patres ex ærario dedissent.

Zancanius mense quintili in Carnos profectus, ut ab hostium impetu, quos eo Patres venturos intellexerant, reipublicæ fines tueretur, ratione hominum, qui ferre arma poterant, earum regionum habita, quorum fuit numerus circiter centum viginti millium, Græcis equitibus, & levis graviorisque armaturæ Italis quamplurimis peditibusque coactis, munitissimo in castello apud Sontium flumen, quod Gradiscæ appellatur, paulo ante nostram ætatem publice ædificatum, multos est dies commoratus; dum ad eum ex Gallico exercitu auxilia convenissent. Turcæ interea equites septem millia magno ac difficili itinere confecto per Iapidum & Liburnorum fines Sontio trajecto, non longe a Gradiscis castris positos se continuerunt, eo consilio, ut si Zancanius castello exiret, prælium comitterent. Eorum dux ubi Zancanium extra munitiones non audere egredi animadvertit, duo millia equitum prædatum mittit: jubet quoquoque incursiones faciant,

*Turcarum
irruptio in
Forumju-
lium.*